tractantes orthodoxiam, deformant. Quidam Aug. n. c. 53.
Ss. eam proponens, variis quaestionibus vel potius argutio-
lis se involutum, cum quorundam oculatiorum offendi-
culo aperte praebuit. Utinam in nostris Academiis Mi-
nisterii candidati in modo concionandi melius instru-
erentur. Magna pars scholasticis suis λεπτολογίαις auram
popularem venans parum ad pietatis aedificationem
intendit. Ceterum pestis etiam nos adoritur: Deus pro
sua clementia eam benigne avertat, qui ante tri-
mestre altera schola Catharina nos beavit. Bene
omnes valemus et V. R. cum dulcissima conjuge
humiliter salutamus et omnia fausta precamur.
Datum Oltenb. 30. Oct. 1612.
Aderant Consanguinei Amsterdamenses, qui meam recu-
sationem malam gratiam inisse ajebant.

ἀνέκδοτοι Epistolae II F. Pauli Veneti et Js. Ca- 146.
sauboni ad se invicem missae super Card. Baronio

Frat. P. Venetus I. S. Casaubono S. P. D.

Sane magno gaudio affectus sum, cum jam annum te in Angli-
am transmigrasse audivi. Timebam tibi, si Italum aërem in-
spirasses ut constitueras. Saepe in animum induxi meum, ut
studia tua aliquibus litteris interturbarem. Unde semper distuli,
majorem opportunitatem expectaturus. Nunc id facere cogor
ut pro tuis litteris prid. kalendas Majas datis gratias agam.
Et ne putes nos incuriosos esse eorum quae istic scribuntur, Ep-
istolas tuas ad Frontonem et ad Peronium legi et apud me ha-
beo: Hujus postremae exemplar a te missum mihi carius erit
ut a te profectum et manu tua subscriptum. Profuerit libel-
lus ille multis bonis viris qui inviti errant. Nam vir ad quem
scripsisti licet multis nominibus nullum ex eo fructum perci-
piet cum voluntas suaderi non possit. Quod in Baronium
scribere paras gaudeo et pergere hortor, licet illum antagon-
istam dignum te non putem, saepe ipse mecum animo
volutavi: Quid causae esset, cur in magna existimatione ap.
plerosque sit, absque ullo suo merito, ne dicam absque ulla cul-
pa, cum quod in tam magno opere laudandum foret
videre nequeam. Nulla pars est quae confutari non possit.
Paedagogiam in lectores petulanter exercet, quod singulis
passibus intempestive sistere jubet. Divinae providentiae

consilia in bonis distribuendis et malis infligendis ad solius papatus rationes adstringit. Reliquum video fortunam benignam illi favorem conciliasse, qua adhuc illum sequitur, cum tu illius scripta oppugnare instituis. Nam magni Aeneae dextra cadet. Cadet tamen in publicam utilitatem opportunum procul dubio. Verum quod illum fraudis et doli mali convincere paras, vereor an probaturus sis iis, qui morum hominis gnari fuerint. Vellem potius levitatis ac temeritatis accusares. Ego illum Romae novi, antequam honoribus manum daret, et prurigine scribendi tentaretur, cum solius animi tranquillitati et puritati conscientiae daret operam, nunquam vidi hominem simpliciorem, quem unico verbo tibi exprimam; nullas habebat opiniones proprias, sed eas e conversantibus sine delectu sumebat. Quas tamen quasi proprias et sensu profectas pertinaciter defendebat, donec alias jussus potius fuisset quam edoctus. Si multi prudentes et cordati fatali poculo ebibito, spiritu vertiginis circumacti sunt; minime mirum si miser unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. Ardelio malo affuisse crediderim, a levitate et temeritate minime. Quod sapientissimi Regis benevolentia fruaris, tibi gratulor ex animo; in eo concumulatae sunt virtutes principis et viri; Regum idea est, ad quam aut quam forte antecedentibus saeculis nemo formatus fuit. Si ego eius protectione dignus essem, nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitae felicitatem. Tu vir praestantissime, nihil te dignius efficere potes, quam tanto principi mea studia commendare. Deum veneror ut illi et soboli vitam incolumem et diuturnam donet, et tibi favores illius adaugeas. Vale et me tua eadem benevolentia prosequere. Venetiis VIII. Ju. 1611 [Junii]

147. Is. Casaubonus Viro Venerando P. Paulo Veneto S. D.

Lucubrationes tuas accipio, Praestantissime Paule, eo gratiores illas experior, quum vel si quotidie ad me scriberes, rem mihi faceres semper gratissimam. Optarem

aliquam